



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Gregorivs Papa XIII. Ad Futuram rei memoriam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

# GREGORIUS PAPA XIII.

*Ad Futuram rei memoriam.*



**P**ONIT nobis fecerunt dilecti filij Populus Romanus, qui Officinam impressoriam erexerunt, & erectam retinent, quod ipsi non sine magno sumptu librum Directorium Inquisitorum nuncupatum, olim à quon. Nicolao Eymrico ordinis Fratrum Predicatorum professore compositum, præcipua catholicae fidei capita continentem, & ea fere omnia, quæ ad extirpandam hæreticam pravitatem conducunt, tractant, ac nunc demum à dilecto filio Fratre Paulo Constabili Sacri Palatii nostri Magistro diligenter examinatum, recognitum, & approbatum plurimisque Apostolicis constitutionibus Romanorum Pontificum prædecessorū nostrorū cōtra hæreticos, & pro officio Sanctæ Inquisitionis editis, auctū, ac Scholijs, seu adnotationibus per dilectum filium Franciscum Pegnam intris vtriusque Doctorem illustratum, in eorum officina impressoria prædicta imprimi faciunt, ac vehementer timent, ne cum primum in lucem editus fuerit, ab alijs etiam forsitan corrupte imprimatur, ipsique sua impensia, & labore frustrentur. Propterea nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum indemnitati in præmissis opportunè consulere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, ne prædictus liber tam in Italia, quam extra, intra annos decem proxime futuros, à die illius impressionis computandos, sub excommunicationis lætæ sententiæ, ipso facto incurrit, & quo ad existentes in Terris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiectis, vltra censuram prædictam etiam quingentorum ducatorum auri ipso facto Camera Apostolica applicandæ pœnis, sine expressa ipsorum Populi Romani, seu ad id ab eis deputatorum, vel deputandorum voluntate, & licentia in scriptis habita, imprimi, aut alibi impressum dicto decennio durante, vendi, donari, aut permutari à quoquam possit, aut valeat: ac insuper, ut nemini liceat eidem libro quicquam addere, detrahere, vel immutare, aut inuerrere, nullave interpretatione adiungere, sed prout Romæ nunc impressus fuit, semper, & perpetuo integer, & incorruptus conseruetur, prohibemus, & mandamus: Decernentes transgressores quoslibet prædictas censuras, & pœnas pecuniarias incurrisse, à quouis Sedis Apostolicæ etiā de latere legato, ordinario, vel delegato, aut quocunque alio Ecclesiastico iudice, declarari, aggrauari, & reaggrauari, & ad parandum, soluendumque pœnam, inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij secularis cogi, & compelli posse, & debere. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac etiā iuramento, aut quauis alia etiam Apostolica auctoritate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indulsis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, vel si forsitan specialiter alicui esset indultum, & concessum, ne excommunicari, interdici, declarari, capi, aut arrestari possit, ac alijs quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, & innouatis: quibus omnibus, etiam si de illis specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio, non autem per derogatorias generales clausulas facienda esset, eorum omnium tenores, hic pro insertis, & singulariter expressis habentes, illis alijs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Et quia difficile foret præsentibus litteras ad quacunque loca, vbi opus esset, deferri, volumus, & eadem Apostolica auctoritate decernimus, earum trāsumptis, et exemplis, etiam in ipso libro, vel per se solum impressis, plenam, & indubitatam fidem in iudicio, & extra adhiberi, quæ eiusdem originalibus litteris adhiberetur, si ostenderentur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die xiiij. Augusti.  
M. D. LXXVIII. Pontificatus nostri anno Septimo.

Cæsar Glotierius.

*Ego F. Thomas Zobbius Brixienfis, ordinis Predicatorum, Sacri Palatii magister, testificor, quod Sanctissimus Dominus noster Papa Gregorius tertius decimus, (me petente) oraculo vixæ vocis concessit, quod D. Franciscus Pegna ad publicam vtilitatem, nonnulla suis Scholijs, seu Commentarijs in Directorium Inquisitorum editis, & Romæ impressis anno M. D. LXXVIII. addere possit, & detrabere, & aliqua mutare in eis contenta, non obstante superiori priuilegio.*

Ita est F. Thomas qui supra.